



VII, 2 M.

2.608-

11. 48  
19

SPECIMEN ACADEMICVM  
DE  
**RELIQVIIS IVRIS GER-**  
**MANICI VETERIS IN STATVTIS**  
**CIVITATIS FRANCVSINAE**  
DEPREHENSIS,  
AD EORVNDEM ILLVSTRATIONEM,  
*POST REDITVM EX ACADEMIA JENENSI,*  
*EXHIBITVM,*  
**PATRONISQVE CONSECRATVM**  
OPTIMIS  
a  
JOANNE FRIDERICO MÜLDENERO,  
J. C.

---

*FRANCVS I.,*  
EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. KEIL.

10

THEMEN DER GEDICHTUNGEN  
HETZIGE DOKUMENTE DER  
MANIGFOLDIGKEIT DER  
ARTEN UND DER  
ARTEN DER  
SIEGENUR DER  
DIE HÖHE DER  
GEMEINDE DER  
WIRKUNG DER  
BESITZER DER  
DURCH DEN SIEGENUR DER  
SIEGENUR DER  
SIEGENUR DER

A

SON EXCELLENCE  
MONSEIGNEUR  
ANTOINE FREDERIC  
DE BEULWIZ,  
SEIGNEUR DE ROTTLEBEN,

D'EICHICHT, LEHMA ET MUNSCHWIZ &c.  
CHANCELIER ET MINISTRE D' ETAT DE S. A. S.  
MONSEIGNEUR LE PRINCE DE SCHWARZBOURG - ROU-  
DELSTAD, PRESIDENT ET DIRECTEUR DES COLLEGES  
ILLUSTRES A FRANCKENHAUSEN, COMME AUSSI INTEN-  
DANT DES BAILLAGES DE HERINGEN ET  
STRAUSBERG etc.

MON TRÈS-GRACIEUX  
SEIGNEUR.

A 2

PAREILLEMENT

A

MESSIEURS

HENRI CASPAR TRAUTMANN.

GOTTLIEB ERNEST SÜLTZNER.

CHRISTOFF GODEFROI QUEHL.

CONSEILLERS DE LA COUR ET DE LA  
JUSTICE DE S. A. S. MONSEIGNEUR LE PRINCE  
DE SCHWARZBOURG-ROUDELSTAD etc.

MES TRES-HONORÉS FAUTEURS.

MONSIEUR  
ET  
MESSIEURS,



I se trouve des gens qui osent mépriser publiquement le droit allemand , croyant qu' il est obscur et par consequent inutile: mais, quand on examine ce jugement sans prévention, on trouve presque toujours qu' il est fondé sur une ignorance profonde ou sur une criminelle négligence. Pour moi je me persuade que rien n'est plus avantageux et plus agreable que d' avoir une exaète connoissance de la jurisprudence allemande. Je prens donc la liberté de VOVS présenter dans ce peu de lignes une petite preuve de l' excellance des coutumes antiques. Et quoique je n' ignore pas que nous vivons dans un siècle où rien ne plait

A 3

que

que ce qui est excellent et parfait en son genre, j'ose pourtant VOUS offrir les premices de mes études academiques, regardant bien que de Grands Esprits sont naturellement genereux & qu'ils ont ordinairement quelque indulgence pour les petits défauts. D'ailleurs VOS grands merites pour le bien public m' obligent indispensablement à VOUS faire favoer le profond respect que je VOUS porte, et la grace toute particulière et la bienveillance que VOUS avez temoignée depuis long temps à ma famille et à moi particulierement, m' ont fortement incité à VOUS remercier très-humblement, et principalement pour le stipendium, que VOUS m' avez gracieusement donné, il y a déjà quelque temps. Prenez donc cela pour une infallible marque de ma veneration très-respectueuse pour VOUS et soyez entièrement persuadé, que rien ne me sera plus souhaitable, que d'avoir la permission de me dire à jamais avec tout le respect imaginable,

MONSEIGNEUR  
ET  
MESSIEVRS

à Franckenhausen,  
le XV. Mars l'an 1739.

Votre très-humble, très-obéissant et très-soumis Serviteur

Jean Frederic Müldener.

# AD LIB. I.

S. I.



ullo unquam tempore Germania de  
conseruando iure patrio consuetu-  
dinibusque antiquis retinendis ma-  
gis fuit sollicita, quam eo, quo ius Ro-  
manum in fora domestica irruere  
coepit, et Pontifex ius Canonicum  
Germanis obtrudere est conatus: id  
quod circa saeculum XII. factum esse, historiarum testan-  
tur monumenta. Ex eo enim tempore tot LL prouinciales ac statuta municipalia scribi coeperunt, quot fere  
prouinciae ac ciuitates; quo spectat e. g. compilatio spe-  
culorum, tam Saxonici quam Sueuici, thesaurorum iuris  
Germanici locupletissimorum, nec minus promulgatio  
iuris Lubecensis, Weichbildici, Hamburgensis, aliarum-  
que ciuitatum, et liberarum et municipalium. (a) Atque hinc nullus dubito, quin eo iam tempore nostra quoque  
ciuitas, cum Comitibus Beichlingensibus adhuc parue-  
rit, statutis fuerit munita, quae uero postea, uel incen-  
dio, uel maxime rusticorum inuasione, aut alia temporis  
iniuria, perierunt, ita, ut, quantum ego quidem scio,  
nulla supersint alia, quam illa, quae a. 1534. a Comite  
Henrico XL. s. Juniore, qui sedem FrancusI habuit,  
sunt confirmata, et hodie adhuc in curia adseruantur.  
Quod uero uel nimiae breuitatis uel obscuritatis uitio la-  
borant, factum est, ut a. 1558. noua conderentur Statu-  
ta

(a) conf. omnino B. BrunquellJ Eröffnente Gedancken von dem  
deutschen Stadt- und Land- Recht. Jena, 1720.

ta, eodemque anno ab Illustrissimis Comitibus, GUN-  
THERO ac IOANNE GUNTHERO, confirmarentur,  
quae, ad hunc usque diem, legalem apud nos obtinent auto-  
ritatem. Et quamvis non negandum sit, quod maximam  
partem ius redoleant Romanum, non pauca tamen in  
illis inuenies iuris Germanici uestigia; id quod exinde pa-  
ter, quod passim mentio fit in statutis des guten Herkoms-  
meng, loblichen, alten Gebrauchs, beständiger Gewohnheit (b)  
quaes omnia, nisi e priscorum rituum natura explicitentur,  
intelligi commode non possunt. Quibus rebus factum  
est, ut iam dudum de eruendis hisce iuris Germanici re-  
liquis cogitauerim, quas eruditorum oculis nunc subili-  
cio: qua occasione praecipuam in eo collocaui operam,  
ut in legum patriarum rationes, de quibus uel unquam  
cogitauerit nemo, inquisiuerm, quoad per historiae at-  
que antiquitatum monumenta licuerit. Eo libentius au-  
tem hunc in me suscepit laborem, quo certior sum, nihil  
esse turpius, nihil iurisprudentiae cultore indignius,  
quam ius ignorare patrum eiusque rationes, eo potissi-  
mum tempore, quo Viri, immortali gloria digni, Beye-  
rus, Polac, Heineccius, Senckenberg, Engau, aliique,  
iurisprudentiam Germanicam in eum redegerunt ordi-  
nem, vt nihil fere supra posset.

§. II,

Ad artic III.  
de  
Magistratu e-  
ligendo.

Primum mihi quidem inquirenti in oculos incurrit  
Artic. III. vbi sancitum legimus, quod Senatus, noui  
Magistratus eligendi caussa, quotannis conuenire debeat,  
1) iejunus quidem, atque 2) horis antemeridianis. Vier-  
zehn Tage vor Michaelis ungefehr, alle Jahr, sollen die zweene  
Rath, so am nächsten regieret, auf dem Rathause fruh vor  
Eßen

(b) conf. Lib. I. artic. I., 2, 42, etc.

Ehen und Trincken ganz nüchtern zusammen kommen; id quod etiam articulo requiritur sequenti, ubi de confirmatione noui Magistratus disponitur; quae tota tamen dispositio moribus Germanorum antiquis suam debet originem. Prout enim maiores nostri certis tantum diebus conuenire solebant (c) ita horae quoque matutinae et antemeridianae conuentibus eorum maxime erant destinatae; ita enim disponit Sächsisches Land. Recht Lib. III. art. 61. Gerichtes sollen warten alle die Dingpflichtig sind, von der Zeit an, das die Sonne aufgehet, bis zu Mittage, ob der Richter da ist, et eod. libr. art. 69. Urtheil sollen sie finden nüchtern etc. de quarum legum rationibus belle et iocose, prout saepe solet, philosophatur glossa, quam, nimis vulgarem, unusquisque, si placuerit, una cum Taciti c. XXII, euoluere potest. Meas tamen simul adiiciam conjecturas, ex quibus, probabiliter quidem, possit cognosci, cur maiores nostri horas antemeridianas suis destinauerint conuentibus. Primum quidem ideo factum esse existimo, quod prisci Germani solem pro Deo habuerunt: id quod expressis uerbis testatur Iul. Caesar de bell. Gall. „Lib. VI. c. XXI. Germani, inquit, deorum numero eos „solos ducunt, quos cernunt, & quorum opibus aperte „iuuantur, SOLEM et Vulcanum & Lunam: ex quo non incommodè colligi potest, ideo Germanos horis libenter coiuisse matutinis, quodeo tempore Sol, quem pro deo reputarunt, radiis coruscat maxime serenis, nec tempestatum iniuria adeo interruptis, ethanc ob caussam ad ortum Solis, tamquam Dei propitioris, feliciorē sibi promiserunt negotiorum exitum. Deinde quoque antiquissimis Germanorum gentibus uertitur id uicio, quod nunquam iusto tempore conuentibus adsuerint, sed quod unus post alterum

B

rum

(c) conf. Tacitus de moribus Germanor. c. XI.

rum comparuerit, ita, ut multi protraherentur dies, et ut plurimum infectis discederent rebus: in quam Germanorum negligentiam iam Tacitus (d) est inuectus. „Illud, „inquit, ex libertate uitium, quod non simul nec iussi „conueniunt, sed et alter et tertius dies contatione coe- „untium absunitur. Ad hos igitur mores Germanorum corruptos emendandos, leges istas postea promulgatas existimo, ita, vt si quis horis antemeridianis in conuentibus uel in iudicio non comparuerit, elapsis hisce horis, non amplius exaudiretur. Habes hic, quid de harum LL rationibus coniiciam, quod obtrudo tamen nemini, eo solum contentus, quod sciam, nostri statuti sanctionem e priscis Germanorum moribus esse reperendam: nec minus ratio nunc facile potest reddi, cur citationibus inferatur formula: zu rechter früher Tagess-Zeit: quippe cuius origo consuetudini in conuentibus comparendi antiquae omnino est tribuenda. (e)

### §. III.

Ad artic.  
XXIV.  
de  
Cura femin-  
narum.

Agendum nunc est de cura seminarum, de qua fuse ac distincte agit artic. XXIV. ej. libr. ubi disponitur, quod magistratus feminis, sive uirgines sint sive uideuae, ex officio debeat constitui curatores, sine quibus in iudicio ualide quicquam agere non possunt, quippe quod repetita uice legitimus in der Schwarzb. Erneuerten Gerichts- und Process-Ordnung P.I. T. IV. §. I. Non tamen hoc loco disputabimus ea, quae alias circa hanc materiam notanda ueniunt, sed pro nostri instituti ratione monstrabimus tantum, quod etiam hic iuris Germanici reperiatur uestigium, et deinde, quaenam sit huius seminarum inhabilitatis ratio.

(d) de Mor. Germ. cap. XI.

(e) conf. Dn. Jo. Rud. Engau, Praeceptor meus aetatem colendus, in elem, iur, Germ, L. IV. T. VI, § LIX, in not.

tio. Non solum uero illa curatorum constitutio huic vel illi Germanorum prouinciae propria fuit, sed communis totius Germaniae consuetudo (f) cuius uestigia non in iure tantum Alemannico sed et Saxonico reperiuntur; illud enim c. 309. ita disponit: Magd und Weiber müssen vor Gericht und in jeglicher Klage mit Recht ihre Vormünder bei ihnen haben, oder der Richter soll sie nicht hören; hoc uero, ius scil. Prouinc. Saxonum, multis in locis de cura disponit feminarum, quorum nonnulla tantum hic recensere lubet, quo spectat art. 44. Lib. I. flagt eine Jungfrau oder Witwe zu Land-Recht über jren rechten Vormünden, das er jr jr Gut neme, zu derselbigen Klage soll sie das Gericht bewormünden: et artic. 46. Jungfrauen und Frauen müssen Vormund haben an jeglicher Klage &c. cum quibus articulis in tortum fere convenit artic. 63. lib. II. Es mag kein Weib Vorspreche sein noch ohne Vormunde flagen. Supersunt et adhuc alii textus, ex quibus singulis constat, feminarum curam ex communi Germanorum obseruantia suam traxisse originem. Ne uero leguleiorum procedamus more, qui uerba legum quidem tenent, earum uero ignorant rationes ac mentem (ff) circa huius indagationem omnino erimus solliciti, simulque refutabimus speculatorum saxonum, qui art. cit. audacter adserit, feminam quandam, Carfaniam, huius prohibitionis suppeditasse occasionem, ita, ut semina non solum non posset postulare pro aliis, sed etiam ob eiusdem mulieris Romanae temeritatem semper apud nos Curatore opus haberet.

#### §. IV.

Indagatur uero, ex quo profecta sit prisca Germanorum obseruantia, quod nulla femina sine curatore nec

B 2

Ratio curae  
feminarum.

(f) conf. Georg. Beyer, in delin, iur. Germ. L, I.C., XXVII. § 2.

(ff) L. 17, ff. de LL.

nec in iudicio nec extra illud ualide agere possit, multos euolui autores, eosque recentissimos atque probatissimos, quorum tamen mihi satisfecit nullus, quod singuli fere ad antiquam tantum prouocant obseruantiam, & hinc uel plane nullam (g) uel nimis generalem atque insufficientem (h) allegarunt rationem: quare, et me circa hanc materiam ab initio haesitasse, ingenue fateor, usque dum, historia Germaniae antiqua adiutus, admodum probabilem huius consuetudinis inueni caussam. Germanorum scil. priscorum omnis fere uita in studiis rei militaris ac uenationibus consistebat (i) quod utrumque uiuendi genus sine armis exerceri nullo modo potest: et hinc apudeos arma semper magni aestimabantur; nullus enim adhibebatur conuentui, nisi armatus incederet, id quod Tacitus luculenter uariis docet locis. Nihil, inquit cap. XV. neque publicae neque priuatae rei, nisi armati, agunt, et alio loco, cap. scil. XXII. ad negotia, inquit, nec minus saepe ad coniuicia, procedunt armati, et cap. XI. ut turbae placuit, confidunt armati. (k) Cui obseruantiae

adeo

(g) inter quos est BEYERUS cit. loc. et plerique Scriptores practici.

(h) Jta e. g. Dn. ENGAU c. I. L. I. T. XXIV. § 395. ex eo deducit seminarum curam, quod sua quidem bona, non uero se defendere posse; quae tamen ratio nimis generaliter concepta mihi uidetur, quod inde non cognoscitur, cur in Germania potissimum haec inualuerit obseruantia, nec pari modo in aliis prouinciis etc. id quod pace Viri, alias de Jurisprudentia Germ. meritissimi, dixerim.

(i) J. Caesar c. l. et Tacitus de M. G. c. XV.

(k) conf. quoque Petri Frid. Arpi Themis Cimbrica, cuius posteriora capita recensent autores des Juristischen Bücher-Saals Part. VI. p. 483; seqq. it, Illustr. Io. Iac. Moscovii Geschichte der Deutschen l. 2, pag. 336.

adeo stricte insistebant, ut illé, qui arma reliquerat in bello, in concilium uenire prohiberetur (1) nec quisquam prius pars uideretur reipublicae, quam armis esset ornatus. (m) Ideo autem maiores nostros armatos coiuisse existimo, quod ius in uiribus habere dicebantur (n) et iudicia duellica, uulgo dgas Faust und Kölben-Recht, in uiridi erant obseruantia (o) ita, ut si controuersiae aliorum arbitrio componi non poterant, deficientibusque aliis probandi modis, ad iudicium illud diuinum, uti uocant, et arma regressus pateret. Cum itaque talis esset iudiciorum priscorum ratio, unusquisque nunc intelliget, cur feminae, quae liberorum, penatiuum atque agrorum curam tantum habebant (p) nec regulariter gerebant arma, nec per duellum cauissam suam defendere poterant, nec volebant saepe, plerumque cum curatore siue defensore quodam comparere debuerint: quod eo magis credendum, quo certius est, alias saepe loco personarum principalium certamen iniisse, qui Vicarii et Optiones pugnae uocabantur. Et licet non inficias eam, saepius feminas ipsas innocentiam suam contra alias masculine defendisse, prout nos historia docet, id tamen quoque non negandum est, quod rarissime eiusmodi acciderit duellum, et deinde ut plurimum inter coniugem eiusque maritum pugna fuerit suscepta: ita, ut securè concludere possimus, feminas, potissimum, si tenuioris adhuc fuerint aetatis, plerumque cum defensore, seu quod idem est, cum curatore, in iudicio comparuisse, atque ex-

B 3

inde

---

(1) Tacitus c. I. c. VI, in fine.

(m) Idem c. I. c. XIII.

(n) Pompon. Mela L. III. de Situ orbis.

(o) B. Brunquell. c. I. § 13. et Ephraim Gerhard. tract. iurid. de  
Iudicio duellico von Kampf und Kölben-Gerichte.

(p) conf. Tacitus c. I. cap. XXV.

inde postea generalem illam de cura seminarum, abrogatis etiam his iudiciis, dispositionem promanasse. Quamuis enim horum iudiciorum ritus postea sint mutati, illa tamen de cura seminarum consuetudo uniuersalis est retenta; quod sane non mirandum, si modo inspexeris ius Romanum, ubi multa ex comitiorum ratione sunt repentina, licet in totum fuerint sublata, quod etiam in iure canonico obseruare licet, ubi multa pontificiorum principia Protestantes reiecerunt, et tamen retinuerunt conclusiones, ex illis immediate fluentes, prout uidere est ex doctrina de sacra coena, de matrimonio, etc. conf. Joh. Laurentii Fleischers Einleitung zum Geisl. Rechte, L. II. C. VII. pag. 340. ad fin. §. 3.

Refutatur  
speculator  
Saxonius.

### §. V.

Veram itaque cum sciamus huius dispositionis causam, cernimus quoque, speculi Saxonici autorem ualde errasse, et iuris patrii fuisse expertem, quod Calphurniam, quam LL. Romanae Carfaniam uocant (q) huius consuetudinis caussam allegat, quippe quae tanquam femina improbissima inuercunde magistratum postulando inquietasset, prout legimus artic. 63. Lib. II. das versor in allen Calphurnia die vor dem Reich mishandelt vor Zorn. Male autem ab hac femina petitur origo, propterea quod illa consuetudo longe ante in Germania inualuit, quam ius Romanum Germaniae fines attigit; quin, ipsi iuris Romani interpres hanc originem, quoad procurationem scilicet, pro spuria reputant, sed eam potius edi&ti caussam allegant, ne quid scilicet, feminae contra pudicitiam, sexui congruentem, patrarent. (r)

### §. VI.

---

(q) L. I. §. 5. ff. de postulando.

(r) Gothoffred, in not. ad leg. cit.

§. VI.

Vnus adhuc restat libri primi articulus, qui mani- Ad artic. LX.  
festum in se continet iuris Germanici uestigium, et hinc de  
omnino dignus est, qui notetur. De articulo scilicet Magistratu ad  
sexagesimo pauca iam iam differamus, necesse est, in quo obstagium  
agitur de rationibus publicis, quois anno reddendis, ita,  
ut si magistratus in colligendis oneribus repertus fuerit mi- cbligato.  
nus diligens, ipso iure ad obstagium (s) obligatus censeatur,  
id quod satis indicant uerba artic. alleg. Und do der  
Rath mit Einbringung der Stadt Schulden nachläßig besunden,  
sollen sie in den Rathhouse usf ihre eigene Zehrung ohne der  
Stadt Kosten Einlager und Gehorsam halten, bis sie sich mit  
Einbringung und Bezahlung der ausstehenden Schulden ledigen.  
Omnia hic reperis requisita, quae ad constituendum  
obstagium alias erant necessaria, locum scil. publicum, cer-  
tum a honestum, ein ehrliches öffentliche Einlager, et ex quo,  
sub poena infamiae iuris, non prius est discedendum,  
quam creditoribus sit satisfactum. Vnicum hoc erit excipiendum,  
quod nimirum magistratus tacite et ipso iure ad  
obstagium adstrictus putetur, quod regulariter in obstagio  
non obtinet, cui semper praecedere debet monitio, quae di-  
citur die Leistungnahme. (t) Antiquissimis iam temporibus  
hoc ius in Germania uiguit, et a Bertholdo Zaehringensi  
in Burgundia in nobilium suorum odium introductum  
uulgo creditur, licet de hoc dubitent adhuc alii; id tamen  
negare poterit nemo, quod Saeculis XIII. XIV. XV. fue-  
rit usitatissimum, id quod probari potest inde, quod i) ius Pro-

---

(s) Huius uocis originem monstrat Beyerus l. c. L. III. cap. XII. S. I. X: Germanice dicitur Einreuten, Einlager, Lei- stung eines Einlagers.

(t) Id. l. c. c. XXV. et Dn. Engau. l. c. L. III. T. XIII. sect. III. §. CLXIX.

Prouinc. Saxon. eius fecit mentionem. (u) Hat er gelubet, das für einzureiten, er ist des Einreitens ledig // da er für einreiten sollt. Deinde quoque, quod 2) in Comitiis Augustanis ao. 1548. habitis, fuit adprobatum: quare non mirandum, quod obligatio ad obstagium nostris quoque statutis inferta fuerit, quippe quae ao. 1558. demum sunt promulgata. Licet itaque creditorum securitati maxime per obstagium fuerit prospectum, magnitudo tamen sumtuum, quos debitor, in obstagio detentus, pro hospitibus, laute excipiendis, facere debuit, effecit postea, vt in Saxonia (x) imperio (y) et in plerisque Germaniae prouinciis fuerit abrogatum; Holsatiam si excepitis, cui hoc ius in pace Westphal. et Recess. Imp. de ao. 1654. expresse fuit referuatum: vbi illud hodie etiam adhuc florere scimus: nuperrime enim relationes publicae Halenses (z) nos certiores fecerunt, quod Consiliarius Intimus de Reuentlau, qui Schlesuici in obstagio fuisse, captiuus nunc Kielonium esset deductus. Variae hac occasione, coronidis loco, uentilandae essent quaestiones, an e. g. nostrum quoque statutum per dictum Recessum sit sublatum? an heredes magistratus ad obstagium sint obligati? demonstraturus uero simpliciter tantum iuris Germanici reliquias, in aliud tempus harum quaestionum differenda sunt disquisitiones;

## AD

---

(u) Lib. II. artic. XI.

(x) Constit. Elect. Saxon. P. II. 22, §. Wir wollen auch. et Carpzov, ad d. Conft. def. XXX.

(y) Reform. Polit. de anno 1577. tit. 17. §. 10.

(z) Donnerstags-Stück num. 45. pag. 178.

## AD LIB. II.

### §. VII.

**Q**uamuis nonnulli adhuc libri primi articuli ex iuri Germanici fontibus essent illustrandi (a) silentio tamen illos non immerito praeterimus, quod nimis vulgaria in se continere, vel primo adpareat adspectu. Potius hinc ad librum progredimur secundum, ubi res altioris indaginis nobis sunt exponendae, inter quas, quoad ordinem, primum tenent locum articuli I. II. III. seqq. de sponsalibus eorumque solennitatibus disponentes. Quod uero hac in parte potissimum ius sequitur Canonicum, mirari desine, quod et in his articulis multa legamus, quae ex iure pontificio sunt de prompta, et ab illis, quae iuri Germanici sunt, probe distinguenda: quo pertinet i) quod sponsalia in numerum contractuum referantur; ita enim disponit artic. I. Gedermann weiß, daß der heilige Chestand der vornehmste Contract ist: darum ist es billig, daß in solchem Contractu alle Dinge aufrichtig, ehrlich, freywillig, und ohne alle Gefahr vorgenommen werden. Et recte quidem ita statutum est; nam secundum ius Germanicum sponsalia nihil aliud sunt, quam contractus, inter masculum et feminam de futuro matrimonio celebratus. (b) Maiores enim nostri, quibus Tacitus (c) singulariter hac in parte tribuit laudem, inter pocula et coniuia de iungendis affinitatibus contrahendisque nuptiis plerumque consultabant, (d) quippe quod tempus iudicabant

C

Ad artic.

I. 2. 3. seqq.

de

Sponsalibus

eorumque so-

lennitatibus.

(a) conf. art. 42. von Hülfse des Reichs über bekanntl. Schuld  
der Bürger. it. art. 64. kein Bürger soll einen eigenen Hirten  
haben etc.

(b) Dr. Engau I. c. L. I. T. XI, §, CCLXIX.

(c) de M. G. cap. XVIII.

(d) Tacitus I. c. cap. XII.

bant aptissimum, ad mentem suam libere declarandam, si quidem animus tunc fingere nescit, et ad simplices maxime patet cogitationes. (e) Hinc paucissima in tam numerosa gente diuertia, nisi ob adulteria, quæ fere tamen erant prorsus incognita. Certis praeterea utebantur solennitatibus, quod scil. semper sponsalibus interfuerint parentes ac propinqui, qui munera probarunt (f) id quod ex nostrorum statutorum quoque requiritur dispositione, artic. 2. et 3. vbi tam parentum quam propinquorum desideratur praesentia: das sollen sie thun mit Wissen und Willen ihrer Eltern et art. 3. das sollen sie thun in Beyseyn zum wenigsten zweyer ihrer Freunde. 2) Deficientibus uero parentibus femina ab illo, in cuius mundo siue potestate erat, coemebatur, et ideo omnino tutoris consensus adesset, erat necesse. (g) Atque hinc patet, cur apud nos quoque tutoris requiratur adprobatio; ita enim iussum in fine artic. II. Waren aber auf der Jungfrau Seiten keine Eltern, sondern Vormünder geordnet, mit derer Wissen soll das Verlöbniß geschehen, und sonst nicht träftig seyn. 3) Hoc denique maximae maioribus nostris dicitur laudi, quod non prius matrimonia contraxerint, quam ad aetatem constantem ac perfectam peruerenterint: deinde quoque, quod semper ad aequalitatem ac paritatem status despöndorum respexerint, quam negligere ignominiosum erat; ita enim Iulius Caesar Lib. VI. de bell. gall. cap. XXI. scribit: Qui diutissime impuberes permanerunt, maximam inter suos ferunt laudem. Intra annum uero uigesimum feminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus: cum quo in totum conuenit Tacitus c.l. c. XX. Sera, inquit, iuuenum Venus, eoque in-

---

(e) Idem. c. l.

(f) Idem. c. l.

(g) Dn. Engau l. c. qui multis gentium German. legibus hanc thesin comprobauit.

inexhausta pubertas. Nec uirgines festinantur. Eadem iuventa, ac similis proceritas. Pares ualidique miscentur, ac robur parentum liberi referunt. Quae cum ita sint, nemo est, qui non intelligat, cur nostra quoque statuta art. 4. requirant 1) aetatem perfectam et 2) aequalitatem status: Ein Gesell oder Jungfrau, die 1) zu ihren rechten Alter und mündigen Jahren kommen, wenn sich die 2) mit ihres gleichen ordentlicher Weise verloben se. Ceterum, cum, ut supra iam diximus, inter pocula plerumque maiores nostri iungerent affinitates, nullique probrum, diem noctemque continuare potando, (h) reip. uero expeditat, ne suar e quis male utatur (i) cernimus, cur in statutis nostris, artic. scil. 5. 6. 7. 8. seqq. epulis ac comedationibus, in sponsalibus ac nuptiis celebrandis ut plurimum solitis, certus modus sit statutus: quo pertinet quoque Ordnung derer Verlobnissen, de a. 1590. quem Illustriss. Comes Wilhelmus promulgari ius sit.

### s. VIII.

Ex mente iuris Germanici res propriae dividuntur in hereditarias atque adquisitas, in Erbe und errungene oder wohlgewonnene Güter: quas singulas iure Romano pro arbitrio in alium transferri posse, tam certum est, quam quod certissimum. Ex moribus uero Germanorum, Saxonum in primis, bona hereditaria auita immobilia, quae sub nomine derer Erb. Stamm-Güter ueniunt, sine heredum consensu, ac praeuia iudicis cognitione, alienare minime licet, quod satis comprobat 1) ius Prou. Saxon. L. I. art. 52. One der Erben Laube und ungericht mag kein Mann sein Eigen oder seine Leut vergeben. Vergiebt ers wieder Recht one der Erben Vrlaub, die Erben unterwinden siches mit rechtem Urteil, als ob

Ad art. X. I.  
de  
Bonis autis  
sine consensu  
berendum non  
alienandis.

C 2

(h) Tacitus l. c. cap. XXII.

(i) S. 2. Instit. de his, qui sui uel al. iur.

der tod were der es gab. Atque idem innuit 2) ius Provincie.  
Alemannic. c. 308. Ohne des Voigts Ding mag niemand sein  
eigen hingeben. Seit einer sein Eigen wieder seiner Erben Wil-  
len hin, und ohne des Voigts Ding, sie sollen für den Richter fah-  
ren und sollen es versprechen, und der Richter soll es da antworten  
den Erben. Quae cum ita se habeant, luce meridiana clari-  
rus est, totum libri II. articulum XII. et XIII. ex iure Ger-  
manorum ueteri esse explicandum , qui de bonis autis  
alienandis agit et ita disponit: Welcher Bürger ein Stamm-  
Guth hat, und solches verkaufen oder sonst alieniren will, der soll  
es thun mit der Erben Bewust. Quamuis ceterum, quae-  
nam bona sub bonis autis hic intelligantur, explicare,  
supercedere possum, propterea quod distincte iam artic.  
XIII. sunt definita ac determinata , non abs re tamen  
alienum fore existimo, paucissimis demonstrare, unde  
haec Germanorum dispositio fortasse sit deriuanda.

#### §. IX.

Atque hunc in finem tenendum est, quod prisci  
Germani propinquos suos atque agnatos summo semper  
prosequuti sint amore ac reuerentia: hinc 1) deficienti-  
bus liberis, spem habebant successionis proximam 2) li-  
beri non parentum solum, sed et propinquorum inimici-  
tias in se suscipere debebant 3) agnatum necare turpis-  
imum erat factum. Quin ? 4) in acie et periculo mor-  
tis propinqui se inuicem deserebant nunquam. Atque  
haec omnia memoriae nobis prodidit Tacitus in aureo  
illo libello de moribus Germ. ubi cap. XX. ita scribit: foro-  
rum filii idem apud auunculum, qui apud patrem honor.  
Si liberi non sunt, proximus gradus in possessione, fra-  
tres, patrui, auunculi. Quanto plus propinquorum, tanto  
gratiosior senectus, nec ulla orbitatis pretia. Suscipere  
tam

tam inimicitias sive patris sive propinquai quam amicitias necesse est. Et cap. XIX. quemquam, inquit, ex agnatis necare flagitium habetur. Similiter cap. VII. ita loquitur: non casus, nec fortuita conglobatio turram aut cuneum facit, sed familiae ac propinquitates. Cum itaque tantus esset proximorum heredum atque agnatorum fauor, tanta erga se inuicem pietas ac amor mutuus, plane non dubito, quin in gratiam ac fauorem propinquorum, atque eorum potissimum, qui proxime succedebant, haec inualuerit consuetudo, ui cuius nulla bona auita hereditaria immobilia, ad splendorem familiae ac propinquitatut conseruandum, alienare fuerit permisum, nisi ipsi consenserint heredes. Aliam quidem iuris *retractus gentilitii* originem ostendit Dn. Gnüge in diff. anno praeterito lenae habita, et eam quidem ex communione agrorum, quae apud Germanos olim obtinuit, laudabili sane studio deriuare est annis; ast eo ipso nostris coniecturis non refragatur, quod ista agrorum communio ex amore illo agnatorum mutuodemum originem traxit, ita, ut ex eo tam communio-  
nis quam iuris retractus gentilitii fundamentum deduci debeat.

S. X.

Cum donatio etiam sit species alienationis, ac huic in sta- Ad artic. 43.  
tutis nostris certus quoque sit praescriptus modus, qui ex iure 44. et 46.  
Germanico Veteri est repetendus, breuissimis ad finem specimi- de  
nis mei de ea agere mihi nunc est animus. Huc spectant uero at- Donationibus  
ticuli XLIII. von Gaben zwischen Lebendigen sive inter uitios, XLIV. mortis causa  
von Gaben auf den Todes-Hall, sive mortis causa, et art. XLVI. et in lecto de-  
von Gaben in Kranken-Bette. Ab initio quidem ualde sum mi- cumbentium,  
ratus, et mirati sunt fortasse et alii, cur tres donationis species  
hie

hic siat propositae, cum tamen articulus 46. de donationibus  
aegrotantium, cum articulo 44, de mortis causa donatione, faci-  
le potuisset conjungi. Ast, cum in memoriam reuocarem id, quod  
de donationibus praecipit ius Germanicum, omnis plane cessit  
dubitatio. Piores scilicet tituli, de donatione inter viuos ac mor-  
tis causa, ex iure Romano sunt de promti, siquidem haec, scil.  
m. c. donatio, majoribus nostris prorsus fuit incognita, quippe qui  
ultimas voluntates plane ignorabant, prout testatur Tacitus l. c.  
cap. XX. Heredes, inquit, successoresque sui cuique liberi, et *nullum testamentum*. Posterior uero articulus 46, quide donatione  
aegrotorum disponit, ex iure Germanico omnino est illustran-  
dus: partim enim ius Germanicum est retentum, abrogatum par-  
tim. Retentum est quoad alienationem immobilium, ui cuius  
nulli aegrotanti sine heredum consensu ea alienare licet, quippe  
quod secundum ius Germanicum omnino est prohibitum, vide  
§. antec. et hinc in statutis nostris simili modo disponitur: Wenn  
ein Mann, oder Weib, Gesell oder Jungfrau vollkommlichen Alters  
zu Bett franc sieget, der oder die mag von seinem Erbe und unber-  
wegl. Gute nichts vergeben, es geschehe denn mit Erlaubniß der  
Erben, cuius dispositionis concinnam addit rationem glossa ad  
artic. 52. Lib. I. iur. Prov. Sax. Wer sein Guth vergiebt, so ers  
nicht gebrauchen mag, der vergiebt nicht das sein ist, sondern er ver-  
giebt das seiner Erben ist. Abrogatum uero est etiam in hoc arti-  
culo ius Germanicum uetus: nam secundum hoc nemo, qui  
morbo laborabat, mobilia sua donare poterat, sed in hoc casu  
certas solennitates erant necessariae. Prout uero triplex erat  
priscorum Germanorum status, ui cuius alii erant *Ingenui*, siue  
*Adelingi* siue *Frilingi*, hodie *Edelleute*, alii contra serui, hodie  
*Bahren*, alii demum liberti, siue *Lassi* siue *Frilassi*, ex quibus  
orti sunt burgenses die Bürger: (k) ita horum quilibet pro ratio-  
ne sui status in donatione mobilium certas adhibere debebat  
solennitates, ex quibus perfecta ualeudo iudicari poterat. No-  
bili scil. tunc demum mobilia donandi competebat facultas, wenn  
ee

---

(k) vid. Anon. in Gedanken vom Ursprung und Unterschied des  
Adelichen, Bürger- und Bauer-Standes in Deutschland.

er sich also vermüge, das er (begürt mit einem Schwert und mit einem Schilt) auf ein Ros kommen mög von einem Stein oder Stock einer Daumellen hoch on mans Hülffe, also das man jm das Ros und den Steigreiff halte (1) cum quo consentit ius Provinc. Aleman. cap. 379, ubi constituuntur sequentia: alldieweil sich der Mann also verwalten mag, daß er sich begürten mag mit einem Schwert, und mit einem Schild auf ein Ros kommen mag von einem Stamme oder Stock, der einer Dum-Ellen hoch ist, ohne eines andern Mannes hülffe, doch soll man ihm das Ros heben und den Stegereiff, diewhl er das mag gehuuen und geryten mag alles Weiges eine Myle, so mag er gethun mit seinem fahrenden Guth, was er will. Und als bald er das nicht gethun mag, so mag er weder geben noch lyhen, noch lassen, noch thun, das jemand schadet, die seines Gutheres warten syndt. Burgenses die Bürger musten zu Ringe und Gedinge gehen, das Schwert zücken und wieder einstecken. (m) Rustici die Bauren mügens vergeben, als er einen Umgang verpfügen mag eines morgens lang. (n) Ein Frau, wenn sie zu der Kirchen gehen mag; (o) Atque omnes haec solennitates iuris Germanici veteris per articulum nostrum sunt sublatae; ita, ut in donatione mobilium nihil amplius requiratur, quam duorum testium, ad hunc actum in specie rogatorum, praesentia, una cum parocho, qui tamen in donatione ad pias caussas abesse quoque potest: Seine fahrende Habe mag er kehren und wenden, wohin er will, wenn der Krank das thut in Beysyn zweyer Personen, die dazu sonderl. gebethen sind, und des Pfarrherrn, aber was zu milden Sachen beschieden wird, in Beysyn Broeyer Zeugen, etc. Quibus itaque perspectis, facile nunc redere possumus rationem, cur singularis articulus, de donatione in lecto decumentum, in statutis nostris reperiatur: quod sine iuris Germanici notitia intelliget nemo.

Ob

---

(1) Sächs. Land-Recht. L. I. art. 52, et gloss. ad h. l.

(m) conf. glossa ad ius Prov. Sax. c. l. et Beyer l. c. Lib. II, cap. XI. §. XIX.

(n) uid. glossa eod. loc.

(o) glossa loc. cit.

§. XI.

Ob defectum temporis, quod aliis laboribus est destinatum, nunc mihi est praescindendum. Haec itaque iam iam sufficient. Quod reliquum est, a TE, B. L. nihil magis puto contendoque, quam ut meorum conatuum iustum atque acutum TE praebetas iudicem ac censorem, ne mihi decedat animus, reliquos duos libros eadem illustrandi cura. Quod si tamen quaedam praeter opinionem in Specimine meo, uel non satis probata, uel non adeo distinste proposita, TIBI uideantur, omnia aequi bonique consulas, ac dicti Büllfingeri, Magni Illius Philosophi, memor sis, uelim, qui in praefat. ad commentat. hypothet. de harmonia „praestabilita ita philosophatur: „dissentire licet in republica „literaria, conuiciari non licet, siquidem iura a consuetudine secesserint.




Pon 26. 80. a



S. 6.

He





SPECIMEN ACADEMICVM  
DE 19  
*11. 400*  
**RELIQVIIS IVRIS GER-  
MANICI VETERIS IN STATVTIS  
CIVITATIS FRANCVSINAE  
DEPREHENSIS,  
AD EORVNDEM ILLVSTRATIONEM,  
POST REDITVM EX ACADEMIA JENENSI,  
EXHIBITVM,  
PATRONISQVE CONSECRATVM  
OPTIMIS**

JOANNE FRIDERICO MÜLDENERO,

J. C.

---

*FRANCVS*,  
EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. KEIL.